

affirmamus nisi unam perfectionem realem; et ubi una tantummodo realis perfectio habeatur, patet eam se ipsa neque maiorem neque minorem esse posse.

Quantum autem ad rationem additam, distinguendum est: nos non possumus perfectionem ordinis in singulis seorsim sumptis considerare, *conceditur*; ipsa perfectio ordinis in singulis seorsim sumptis non invenitur, *negatur*. Et ratio negationis iam supr aest data, nempe, una realis perfectio se ipsa maior vel minor esse non potest.

Ad imperfectam tamen intelligentiam huius aequalitatis, recordandum est solum Deum Patrem esse ingenitum, ideoque fontem atque principium totius Trinitatis; sicut ergo aliae personae ordinate a Patre procedunt, ita etiam a Patre ipsa ordinis perfectio procedit; at nemo dat quod non habet; ergo tota ordinis perfectio in Patre realiter invenitur, neque maior potest esse perfectio SS. Trinitatis quam perfectio Patris.

Quod si quodammodo perspicitur, quaerendum est quemadmodum tota ordinis perfectio iam in Patre inveniatur; cui sane quaestioni respondendum est totam hanc perfectionem Patri inesse secundum suam sapientiam; sapientis enim est ordinare. At minus

³¹ Assertitur aequalitas eo fere sensu ac consubstantialitas; DB 39, 70, 253, 428, 461 ss., 703 s. Uterius concludit conc. Toletanum XI: « una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totae tres personae unus Deus enuntiantur » DB 279. Fortius loqui videtur Augustinus: « Sed hic in rebus corporeis, non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duae quam una res: caeterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duae quam una ». *De Trin.*, VI, x, 12; ML 42, 932. « In ipso igitur Deo cum adhaeret aequali Patri Filius aequalis aut Spiritus sanctus Patri et Filio aequalis, non sit maior Deus quam singuli eorum; quia non est quo crescat illa perfectio ». *Ibid.*, viii, 9; 930.

S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 42, docet tres personas aequales aeternitate (a. 2), magnitudine (a. 4), et potentia seu potestate (a. 6). Aequalitas supponit unitatem essentiae et distinctionem personarum, sed super relationes originis non addit aliam relationem realem, sive ratione essentiae (quia relatio alicuius ad se ipsum non est realis) sive ratione relationum (quia relatio relationis est ens rationis tantum) [*Ibid.*, a. 1 ad 4m]. Circa aequalitatem potentiae, non affirmat Filium posse generare; quod tamen aequalitati non obstat, quia potentia dicitur absolutum, sed per sola relativa distinguuntur potentia generandi active et passive significata; quare Pater et Filius sunt aequales secundum potentiam generandi, inquantum uterque habet hanc potentiam, Pater quidem secundum posse generare, Filius autem secundu inposse generari [*Ibid.*, a. 6 ad 3m].